



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 2. Vtrùm ob gravem metum liceat uti simulatione in
administratione Sacramentorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

& similibus locis interdum esse sermonem de immunditia, & sanctificatione legali, seu ceremoniali, faterur expressè Suarez *suprà* sect. 3. citata, eademque videtur esse de omnibus ratio, qua fortè ductus Vasquez eis non utitur ad suam conclusionem probandam.

32. Obijces tertio. Administrare Sacramenta in statu peccati actualis; verb. grat. cum proposito, seu affectu actuali peccandi, est peccatum grave sacrilegii contra reverentiam Sacramento debitam: ergo & administrare cum peccato habituali, non remisso per confessionem, seu contritionem. Respondet Croufers ubi *suprà* negando consequentiam. Quia in primò casu, intervenit gravissima irreverentia, in secundò verò levis. Quam quidem sententiam, me iudice, tenent omnes Doctores *suprà* citatum. 3. qui aliquam displicentiam peccati requirunt ad ministrandum Sacramentum, quo manifestè indicant, affectum peccati actualis, dum actu administratur, importare gravem irreverentiam; quod secus iudicant de administratione facta cum peccato habituali; proindeque exigunt aliquid impossibile cum peccato actuali, non curantes de forma impossibile cum habituali. Secundò respondeo per instantiam, & amice rogo: cum Sacerdos, seu laicus administrat Baptismum in peccato mortali actuali, vel delinquit graviter, vel non? Si primum: ergo bene stat, esse irreverentiam gravem administrare in peccato mortali actuali; non verò in habituali. Si secundum: ergo nunquam peccabit mortaliter Sacerdos, etiam si cum solemnitate ministrat.

S. V.

Judicium Auctoris.

33. Hæc omnia disputationis gratia dicta sunt: Contraria enim, & communis sententia omnino tenenda est, utpotè comprobata auctoritate sanctæ Inquisitionis in Expurgatorio anni 1640. (in quo expungi mandatur ex Llamas opinio negans obligationem gravem se justiticiandi, ad conficiendum Sacramentum) & roborata cerro, & firmo consensu Theologorum ex D. Thom. 3. p. quæst. 64. artic. 6. in corpore, ubi sic ait: * Non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei, & Ecclesiæ in dispensatione Sacramentorum peccent, & quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale. * Quod prædixerat in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. quæstione. 5. ibi: * Quicumque homo, quod sibi competit ex ordine, facit indignè; quod iustum est, injustè exequitur; & contra præceptum legis facit, ac per hoc mortaliter peccat. * Quapropter, licet omnia principia ad hanc conclusionem labefactandam seorsim sumpta probabilia sint; non tamen sunt comprobabilia, utpotè ex quibus propositio probabilis deducitur. Unde omnes tenentur uni, vel alteri rationi inherentes, adversariorum fundamentum dissolvere, vel saltem conclusionem, ut certam admittentes, planè fateri, nulla ratione convincenti ad illam adduci.

34. Est tamen advertendum, his non obstantibus, probabilissimum esse, Confessarium non peccare mortaliter audiendo totam confessionem in peccato, dummodo habeat propositum præmittendæ contritionis ante absolutionem, ut docent Henri-

quez lib. 6. cap. 18. num. 6. in Gloss. litt. 7. Cardin. delago disput. 21. num. 69. Diana 1. p. tract. 7. resol. 47. quæ irreverentia in eo consistit, quod Minister non agit gratia, quando illam operatur: hoc autem præstat quando absolvit, ac proinde sufficit, quod tunc gratia statum consequutus fuerit.

QVÆSTIO II.

Utrum ob gravem metum liceat uti simulatione, in administratione Sacramentorum?

1. Communis Doctorum sententia negat, quæ ad eam certam putat Palaeus tom. 1. tract. 1. p. 13. num. 8. ut contrariam, non tenent dicere, audaciam, & temeritatem videri reprobam. 2. Verum aliis rigida valde hæc censura videtur, & talem putavit Antonius de Escobár tom. 1. Theol. moral. lib. 1. sect. 2. Problem. 26. fol. 27. * Mihi certe videtur, mei amicissimi Patris Ferdinandi Castri Palaei vocantis primam sententiam audacem, & temerariam, nimium rigida censura videretur, dum legimus Doctores, affirmantes in quibusdam eventibus licere hostiam non consecratam pro consecratione porrigere, quæ proculdubio major est simulatio. * Sic ille, vel idè ab imperito Neotherico fugillatur. 3. Quapropter duplex in præsentiarum enucleanda verè difficultas. Prima, an in aliquo casu liceat hostiam non consecratam, veluti consecratam peccatori occulto ad vitandam infamiam porrigere? Secunda, an, hoc negato, liceat nihilominus in administratione Sacramentorum simulatione uti?

S. I.

De subrogatione Hostia non consecrata, quæ nonnulli senserunt?

4. Primam difficultatem versat M. Petrus de Ladesma 1. p. Summ. capite 12. de Eucharistia. §. 1. ubi licet negativam partem amplectatur, plures tamen, & graves Doctores pro affirmativa in iustis refert. * La septima duda (inquit) es, si es licito en algun caso comulgar a uno con hostia, que no está consagrada? En esta duda algunos tienen, que si al asilo tiene Alciódorensis. Y San Buenaventura dice, que es licito, si se haze con consentimiento del peccador. Y lo mismo ensenna Adriano. * Cumque bus sentit M. Christophorus Jabellus tom. 1. Philosophia Christiana, p. 5. tractat. 4. capite 6. num. 50. postquam statuit, peccatori si rationis infirmo, hostiam non consecratam porrigere non licere; ait: * Si autem esset, si ipse peteret, sibi dari hostiam consecratam, ne indignè sumat corpus Domini, tunc enim sibi dari posset, ita tamen quod talis hostia ponatur seorsim à consecratis, ne Ecclesia decepta dando ei non consecratam, ac si esset consecrata. Sic sibi. Et ante illum Albertus Magnus apud Suarez in Eucharistia, disputat. 67. sect. 4. Quos sequitur V. Illud in Summ. tom. 1. tractat. 7. diffin. 38. num. 7. fol. 100. ubi sic: * No es licito darle la hostia no consagrada, por el peligro que ay de idolatria, como no lo es la hostia. Mas si la forma que le ha de dar, la tiene en la creta, de manera, que los fieles no la pudieran adorar.

con consentimento del peccador, será licito darla, para evitar algun grande escandalo, pues allí no avia peligro de idolatria, como dize San Buenaventura, Adriano, y Angles.*

5. Eadem sententiam tuetur Ludovicus de Sancto Iuan in *Summ. tomo 1. quæstione 7. de Eucharist. artic. 8. difficult. 3.* dicens: *Será licito dar al peccador oculto una hostia no consagrada, con su consentimento, para que no se infame, con quien viere, que no comulga, por que no se comete sacrilegio en la comunión, ni se infama al proximo; y como es licito dar la absolución cautelosa, tambien lo es dar la comunión. Pero esto no se ha de practicar, sino en raros casos, con sabiduría del peccador, y proponiéndole delante otra hostia consagrada, que el, y el pueblo adoren. * Sic ille, & alii, quos refert Diana 3. *part. tractat. 6. resolut. 83. & 4. part. tractat. 4. resolut. 47.* qui licet hanc opinionem non sequatur, probabilem tamen putat, quia contrariam probabiliorē vocat, & hanc censura afficere non aude, dicens: * Non tamen audeo sententiam affirmativam nota improbabilitatis inurere. * Et novissimè amplectitur Franciscus de Lugo in *principiis Theolog. Moral. part. 2. cap. 6. quæst. 7.* Pro eadem sententia refert Joannem Sanctium Castro Palao in *opere morali, tom. 1. tractat. 2. disputat. 1. punct. 13. num. 10.* Sed illum ab ea eximit Diana *resolut. 84. citata*, dicens Sanctium numquam dixisse. * ut patet ex tota disputat. 35. num. 6. & 10. licet Sacerdoti in aliquo casu ministrare hostiam non consecratam pro consecrata. Unde immeritò adversus illum insurgit doctus Palao. * Sic Diana pro amicissimo suo Sanctio. Et bene quidem ut constabit ex dicendis *num. 10.* ubi eius sententiam ipsius verbis describimus.

6. Itaque Doctores citati non agnoscunt peccatum in præfata fictione administrationis Eucharistie, secusulo periculo idolatriæ, quod præcaveri sufficienter putant, si hostia non consecrata seorsim ponatur, & ita secreta existat, quod populus eam adorare non possit. Quibus favere videtur D. Thomas *opuscul. 65. de Eucharist.* Ubi ob delusionem populi, hostiam non consecratam porrigendam non esse, docet. * Caveat, inquit, Sacerdos, ut numquam porrigat sano, vel infirmo hostiam non consecratam pro corpore Christi, quia non debet populum deludere. * Ergo, si nec peccator, utpotè rei conscient, nec populus, utpotè cui hostia non consecrata non exponitur adoranda, sed seorsim, & secreto custoditur, non deludatur; licitum erit, eam peccatori occulto porrigere. Cessat enim idolatriæ periculum, quod unicè ob stare videtur, secundum præfatos auctores.

7. Verum hoc fundamentum communiter rejicitur: quia periculum idolatriæ inevitabile est. Primo, quia forsitan aliqui adorabunt illam et hostiam, quam sumit peccator: nam ut ait Cajetanus 3. *part. quæst. 80. artic. 6.* * Præsentes indistinctè adorant, vel adorare possunt quamlibet hostiam, quam deferunt, vel dari conspiciunt. * Ad actum enim adorationis non requiritur determinatè, quod illam videant; nam quando communio fidelibus confertur, etiam longè adstantes adorant, licet hostiam oculis non percipiant: idem què non raro contingit, quando in Missa levatur. Secundo, quia actus sumendi reverenter, & similiter ministrandi, qui propter præsentes ex parte suscipientis, & ministrantis excusari non possunt; verè sunt cultus externus, & adoratio, quæ Eucharistie solet, & debet adhiberi: à quibus materialē idolatriam separati, impossibile videtur, ut tradit D. Thom. 3. *part. quæstione 80. artic. 6. ad 2.*

ibi: * Hostia tamen non consecrata nullo modo debet dari loco consecrata, quia Sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idolatrare illos, qui credunt esse hostiam consecratam, sive alios præsentes, sive etiam ipsum sumentem. *

8. Si autem respondeas ex Vasquez *tomo 1. in 3. part. disputat. 110. cap. 5. & tom. de Eucharist. disputat. 209. capit. 1. num. 41.* non esse periculum idolatriæ, licet species non sint consecrata, quia affectus summisionis internæ fertur in solum Christum, idè què licet ibi verè non existat, ille adoratur, & est terminus interni affectus, non satisfaci: quia idolatria externa, & ficta nequit in hoc casu non intervenire, utpotè quæ, juxta communem Theologorum sententiam, in solis externis signis summisionis consistit. Ergo etiam in suscipiente, vel ministrante, licet interna summissio deficiat, cum noverint hostiam consecratam non esse, idolatria vero externa non deficiet. Secundo: quia præfatum fundamentum a què probat, etiam ignorantes hostiam non esse consecratam, externè illam adorantes, idolatriam non committere, quia in his etiam affectus summisionis verè fertur in solum Christum Dominum; & hic est, qui adoratur, licet ibi non existat. Quod non negavit, sed expressit ipse Vasquez *disputat. 209. citata de Eucharist. capit. 4. num. 41.* dicens: * Idolatria non committitur sine expressi intentione adorandi pro Deo id, quod revera non est, ac proinde, qui adoraret hostiam non consecratam apprehendens cognitione sua ibi Christum, idolatriam non committeret. * Ergo licet hostia non consecrata porrigenda peccatori populo exponeretur, nullus idolatriam committeret, quandoquidem omnes cognitione sua ibi Christum apprehenderent, & illum adorarent; nullusquè haberet expressam intentionem adorandi pro Deo id, quod revera non est. Ergo licet hostia non consecrata non ponatur seorsim ab aliis consecratis, nec secreto custodiatur; idem prorsus teneris dicere, si ob solum periculum idolatriæ, fictionem istam condemnes: periculum enim istud, quovis ex dictis modis res contingat, aut semper occurrit; ut videtur tradere D. Thomas *suprà*, aut numquam, ut probat ratio nuper attacta ex P. Vasquez.

9. Hic discursus videtur aliquibus concludere, aut fundamentum Patris Vasquez firmum non esse, aut fabelli, & aliorum falsum existere. Quia hostiam non consecratam, veluti consecratam populo exponere, peccatum esse, & quidem gravius sacrilegio, constat ex decisione Innocentii Tertii *cap. de homin. de celebrat. Missar.* ubi loquens de quodam præbytero, qui, eo quod esset in statu peccati mortalis, Missam celebrabat absque intentione consecrandi, dicit gravius peccasse, quam si sacrilegè consecrasset, & Eucharistiam suscepisset. * Cum falsa, inquit Pontifex, sint abijcienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora, licet is, qui pro sui criminis conscientia putat se indignum, peccat graviter, si se ingerat irreverenter ad illud (scilicet, ad consecrandum, & communicandum;) gravius tamen videtur offendere, qui ita fraudulenter illud præsumpsit simulare: (attende) cum ille in solius misericordis Dei manum incidat, iste verò non solum Deo (quem illudere non vegetur) sed etiam populo, quem decipit, se obstringat. * Hæc Innocentius. In quibus gravius peccatum declarat, hostiam non consecratam, veluti consecratam adorandam exponere, quam consecrare, & communicare in peccato mortali, quia istud solum est contra Deum;

Deum; illud verò contra Deum, & homines. Ergo porrigere peccatori occulto hostiam non consecratam, quam externè tantum ipse peccator, & minister, & alii assistentes adorant, gravius peccatum est, quam consecratam ei communicare; quia in hoc casu solum contra Deum delinquitur: in illo autem contra Deum, & homines. Ergo vel solus cultus externus, & ficta adoratio (saltem, quæ ex errore intellectus procedit) habet rationem idolatriæ, quod evertit opinionem Patris Vasquez; aut sola simulatio, quæ in consecratione intervenit absque periculo idolatriæ, sufficit ad constituendum peccatum mortale gravius, quam sacrilegium. Hoc secundum ceteros Patres Vasquez ubi supra, id quod putat efficaciter probabile ex decisione Innocentii Tertii supra commemorata. Cæterum cum Pontifex gravitatem peccati in casu supra adducto de Sacerdote fictè consecrante, desumpsit ex injuria facta populo assistenti sacro, & nulla injuria fiat, quando occulto peccato, de eius consensu, secretò hostia non consecrata separatim ab aliis posita porrigitur, non videtur hic casus in decisione Innocentii comprehensus, sed aliunde resolutionem deducendam, quia non loquimur de fictè celebrante deludendo populum, sed de occultè ministrante: in quo casu, si periculum idolatriæ non est (ut fateatur Vasquez) fictionem, & simulationem hanc non sufficere ad culpam, quando famæ peccatoris conservandæ causa fit; docent Doctores omnes, quos supra citavi.

§. II.

Vera sententia.

10. **S**ed omnino tenendum, numquam licere hostiam non consecratam, veluti consecratam peccatori occulto porrigere. Sic cum D. Thomas 3. part. quest. 80. artic. 6. ad 2. docent communiter Theologi apud Joannem Sanctum ubi infra num. 3. quibus adhæreo. Moveor, quia licet periculum idolatriæ non adesset, ut contendit Vasquez, & fictio in Sacramentis ex causa justa admitti possit; ut D. Bonavent. & alii existimant; numquam tamen occurrere potest ejusmodi causa. Primo: quia peccator occultus potest actum contritionis elicere, (si confessionem præmittere non possit) & hostiam consecratam suscipere, quo famæ consulat, vel mortem non communicanti imminentem evitet. Si autem nolit, eius malitiæ tribuendum est, & sua culpa damnum incurrere; vel spirituale, si indignè communice, vel temporale, si (ut debet) à communione sacrilega abstineat. Secundo: quia licet peccator adeò esset obstinatus, ut potius eligeret sacrilegam communionem, quam à proposito peccandi desistere, & aliunde, si communicaret, mors illi immineret, posset Sacerdos simulare se Eucharistiam in os illius immittere, ut bene docet Henricus libro 8. cap. 33. num. 3. ubi sic: * Sacerdos non debet hostiam non consecratam dare peccatori occulto, ob eius finem, ne eius peccatum detegatur, quia hostia prius proponitur adoranda, quam sumenda: urgente tamen casu posset simulare se hostiam prius monito ministrasse, cum tamen occultè recondat hostiam in custodia. Quem sequuntur Joannes Sanchez in Selectis disput. 35. num. 9. Diana 4. part. tractat. 4. resolut. 47. & Leander tom. 2. tractat. 7. disputat. 7. quest. 61. Casum autem occurren-

tem proponit Sanctius: * ut si maritus, inquit, videns illam communicantem, suspicionem, quæ adversus illam conceperat, deponeret; aut si maritus, an communice, vel minus, ad confirmationem ritus non habeat jus ad cogendum uxorem communicare, sicut licet vim vi repellere, ita & filius Sanctius. Hic enim casus cum Sacramento simulationem non contineat, nec idolatriæ periculum præferat, sed Sacerdos præsepe concurrens ad occultandum defectum communionis, ob extrinsecum spirituale, vel temporale peccatoris nocuum, causam justam Sacerdoti offert ad præstam functionem utendum. Idemquæ dicendum patet contra Sanctium casu, quo urgente præcepto communionis, peccator non esset rectè dispositus. Nihil, quod in hoc casu ea uti prohibeat; quandoquidem non dissimilis simulatio in administratione Sacramenti Pœnitentiæ frequens satis est Confessoribus, qui pœnitentem, quem præ dispositione absolute non possunt, simulant signis exterius abstinere propter adstantes; & absque absolutione dimittunt: quo eius famæ prospiciunt, & licet illegitimè irritæ absolutionis evitant. Cum igitur magis, ut altero modo ex dictis, famæ proximi, & culpe alteri damno gravi imminenti occurrat, qui opus sit, hostiam non consecratam loco communionis porrigere, inde fit, ad ejusmodi fictionem istam causam nunquam adesse, atque adeò hoc semper illicitum fore.

§. III.

Quid de simulatione in Sacramento conficiendo.

11. **H**inc ad secundam difficultatem, supra positam, gradum faciens inquiri: utrum in aliquo casu liceat simulatione uti in conficiendo, vel administratione Sacramentorum? Affirmat Div. Bonavent. S. Albertus Magnus, Alfridus de Rosis, Adrianus, Angles, Mag. Jabbellus, Ydubos, Franciscus de Lugo, & alii supra citati, qui hostiam non consecratam veluti consecratam aliquando porrigere, licitum putant, quod supra negimus. Affirmant etiam alii, licet prædictum sumus, de hostia non consecrata, non admittant. Joannes Sanctius in Selectis disputat. 35. citata, nam. Ludovicus de S. Juan 1. part. Summ. tractat. de Eucharistia questione 7. artic. 8. diffi. 4. folio 67. Joannes Præpositus in 3. part. quest. 2. de Sacrament. Matrimon. lib. 1. numer. 37. & 38. Diana 3. part. tractat. 6. Miscellaneis resolut. 83. Antonius de Escobar ubi supra, & alii. Quia consentio.

12. Ad hujus sententiæ probationem suffraganeum est, simulationem in præsentem latè sumi esse, & non ea stricta significatione, qua utitur D. Thomas 2. 2. questione 11. artic. 1. ubi ait: * Simulatio propriè est mendacium quoddam in extrinsecis signis factorum consistens. Non refert autem utrum aliquis mentiatur verbo, vel facto quocumque alio, ut supra habitum est; unde cum omne mendacium sit peccatum, consequens est etiam, quòd omnis simulatio est peccatum. * Si enim simulatio in hoc stricto sensu accipiat, censum

mum est, numquam ea uti licitum esse, sicut nec mendacio. Est igitur tantummodo quæstio, an sicut ex iusta causa in aliis materiis, licet uti æquocatione in verbis, & factis, quæ latè dicitur simulatio, (dissimulatio potius dici deberet) liceat etiam in administratione Sacramentorum. Et quidem quod in aliis materiis, aliquando æquocatione, & amphibologia uti liceat. * Adeo certum est (inquit Thom. Hurtado tom. 2. tractat. 7. cap. 1. numer. 8.) quod sit error in fide id negare, constat enim manifestè ex sacra pagina. * Difficultas igitur solum est, an in re nostra locum etiam habere possit. Et affirmative cum cæteris respondeo. Quia simulatio ex iusta causa, ratione æquocationis, aut restrictionis, quæ in mente retinetur, aut ratione alterius implicitæ significationis ex circumstantiis desumptæ, in aliis materiis à labe mendacii immunis est, ut probavi sup. tract. de Religione, quæst. 6. de iuram. §. 4. ergo, & in Sacramentis. Deinde non sit irreverentia Sacramento, nec proximo injuria quando ob reverentiam Sacramenti, aut ob proximi nocuum vitandum, iusta interveniente causa, æquocatione utimur. Ergo non est eucin aliis, & non in Sacramentis, ex iusta causa, simulatio uti possimus.

13. Quapropter hanc sententiam ultra citatos probabilem putat perdoctus Angelus Maria Vercelli tom. 1. tractatu 1. quæstione 10. & 11. num. 3. * Probabile, inquit, est, licere metu mortis simulare Sacramentum Pœnitentiæ, vel alia, obmutuando verba, vel proferendo sine intentione absolvendi. Probaturs quia quando non est, neque materia, neque forma Sacramenti, tunc non dicitur Sacramentum irreverenter tractari, neque dicitur irritari. Hoc fatentur ipsi adversarii agentes de Sacramento matrimonii, de quo omnes asserunt non committere sacrilegium contrahentem invalidè ex metu gravi; etiam si exterius proferat verba, quibus contrahi solet matrimonium. Ratio est, secundum ipsos, quia cum materia Sacramenti matrimonii sit contractus legitimus, qui tunc ob gravem metum non adest, id est tunc non est materia Sacramenti, & cum non sit materia Sacramenti, neque cogitent conjuges de consecratione Sacramenti, sed de contractu; consequenter non adest Sacramentum, quod irritetur, aut irreverenter tractetur, &c. Ergo adversarii idem docere tenentur in casu nostro, cum Sacerdos metu mortis simulat, se absolute proferendo verba absque intentione absolvendi, quia tunc non adest materia proxima, cum pœnitens sit in dispositus, neque habeat dolorem: neque adest forma: tunc enim tantum est forma, quando profertur intentione absolvendi; ut docent Pontius, Valentia, & Castro Palao; ergo non debet dici in hoc casu Sacramentum irreverenter tractari, aut irritari. * Hæc ille. Ex quibus concluditur, quod existente iusta causa excusante à labe mendacii æquocationem in verbis, quibus consecratio, vel administratio Sacramenti simulatur, non est cur ob metum saltem mortis, non liceat simulatione huiusmodi in omnibus Sacramentis uti.

14. Hinc si hæreticus (non in odium fidei) minaretur mortem Sacerdoti, nisi omnem panem in foro existentem consecraret, posset ille consecrationis verba proferre absque intentione consecrandi, absque ullo peccato contra Religionem, vel iustitiam, & absque ulla mendacii labe: habet enim iustam causam utendi æquocatione. Sic Joannes

Sanchez in Selectis, disputat. 35. num. 3. * Nec obstat inquit, aliquos adorare talem panem, tanquam consecratum, erit enim solum idolatria materialis, quam Sacerdos in illo casu vitare non tenetur: gravius namque esset consecrare, & multas particulas perire. * Sic ille. Non tamen inde inferas, licere malum operari ad gravius malum vitandum: hoc enim in hujus auctoris mentem venire non potuit; sed intentum illius est, non esse malum in his circumstantiis non evitare materiale idolatriam, quam ex iusta causa permittere, licitum putat. Et quidem si ratione fictionis, vel simulationis, peccatum in præsentis casu non committitur, dissentire nequit Vasquez ubi supra, quia, ut vidimus, idolatriam non judicat, absque expressa intentione adorandi pro Deo, quod non est; idèquè de hac ratione vitandi idolatriam materiale; quam ipse non videtur admittere sine formali, parum curavit. Cui ego non assentior. Nam Gentiles, qui Jovem, aut Lunam, vel Solem adorabant, omnes Patres vocant idolatras, & tamen ipsi adorabant, quam ibi existimabant, ex errore, adesse veram divinitatem; ergo cum in casu prædicto fideles adorassent contentum sub speciebus panis, quod ex errore ipsi putarent esse Christum, verè materiale idolatriam committerent, licet à culpa propter invincibilem ignorantiam excusarentur, vel propter gravius malum vitandum, ut ait Sanctius supra, cui plures dissentiunt.

15. Quapropter melius responderi posset, in tali eventu fideles ex circumstantia metus injustè illati Sacerdoti, ad consecrandum omnem panem in foro existentem, debere prudenter dubitare de intentione Sacerdotis; idèquè solum posse adorare sub conditione, quod vera consecratio præcesserit, & hanc esse expressam omnium voluntatem, & talem præsumendam: qua omnis idolatria etiam materialis vitatur. Ad hanc enim requiritur error, quod divinitas vera ibi lateat, quo deficiente, idolatria materialis non est: sicut ad formalem requiritur expressa, vel implicita intentio adorandi pro Deo id, quod non est, & cum hic error in casu præsentis non adsit, sed vel purum dubium, vel suspicio; & magis debeat quis inclinare, quod non fuerit consecratio; dicendum est, signa ipsa externa adorationis procedere ex voluntate conditionata, quæ ad materiale etiam idolatriam constituendam non sufficit. Idè hanc conditionem adhibendam esse, quoties fuerit ratio sufficiens ad prudenter dubitandum (ut in præsentis contingit) benè docet Suarez tom. 3. in 3. part. disputat. 65. sect. 2. Cum igitur Sacerdos, qui ex gravi metu verba consecrationis absque intentione profert, ad voluntatem tantum conditionatam occasionem præbeat; non est dicendum, quatenus est ex se, facere alios idolatrate, sed ad summum dubitare de consecratione. Ratione cuius expressam conditionem adhibere debent, quæ posita, omnis idolatria, etiam materialis, vitatur. Hæc solutio uti poterit, cui à Joanne Sancto præfata non placuerit, licet planè non videam, cur admitti non possit, quia nec rationi dissonat, nec est, cur cum mortis periculo, teneatur Sacerdos materiale ab omni idolatriam vitare, quando nec fidei, nec eorum salutis nocet. In aliis autem Sacramentis, simulationem admittere minus dissonat.

16. Et quidem in Sacramento Pœnitentiæ licitum esse simulationem uti, proferendo verba absolutionis absque intentione absolvendi, ob fugiendam mortem Sacerdoti aliter à pœnitente indispotito comini-

comminatam, haud difficile percipitur. Et ita concedunt Ludovicus de S. Juan 1. p. Sum. tract. de Eucharist. q. 7. art. 8. folio 167. Diana 3. p. tract. 6. Miscell. resol. 83. & Joannes Sanchez ubi supra disput. 35. num. 7. * Tunc enim, inquit, iusta ad est causa utendi æquocatione: sicut ille, cui minata fuit mors à latrone, nisi juret, se daturum centum aureos, poterit verba juratoria exterius proferre absque intentione.*

17. Quoad Sacramentum matrimonii ferè omnes conveniunt, hanc doctrinam esse admittendam, etsi in aliis Sacramentis non admitteretur. Quod tradit cum Navarro, & aliis Thom. Sanchez lib. 1. de Matrim. disputat. 11. ubi gratià vitandi magni scandalis existimat, posse proferri verba, æquocatione mente retenta, absque intentione contrahendi. * Æquocatione, inquit, uti, ubi iusta causa subest, communis sententia habet: ut si intelligat: Accipio te in meam, si ad id teneor; sicuti in simili asserunt Sylvester, Angelus, Navarrus, Ludovicus Lopez, &c. Quod si opponas irritum reddi Sacramentum. Dico cum Henr. quez, diversum esse in hoc Sacramento, & in aliis sentiendum: cum enim ultra Sacramenti rationem, contractus naturam induat, potest ea ratione, qua contractus est, absque Sacramenti injuria, irritum reddi, quando causa iusta ad id cogit. * Quod iterum cum Petro de Ledesma tradit lib. 4. disp. 16. num. 1.

18. Verum licet conclusioni consentiam, rationem non probò: quia existimo, eandem, quæ in aliis Sacramentis, in matrimonio militare; & idè ad objectionem, quam sibi opponit Sanchez, omnino negandum esse, irritum reddi Sacramentum, quia ad hoc necessarium erat; quod adhiberetur forma Sacramenti, & tamen non resultaret ex alio defectu; quod in presenti non contingit: quia verba absque intentione contrahendi non habent rationem formæ, ut cum Basilio de Leon, Valentia, & Palao docet Verricelli ubi supra tom. 1. tract. 1. quest. 10. & 11.

19. Adde rectè stare posse intentionem efficiendi contractum matrimonialem, absque intentione efficiendi Sacramentum, ut contingit, quoties inter absentes contrahitur, juxta opinionem Cajetani, Victoris, & Cahi, quos citatos sequitur Franciscus Sylvius in 3. p. quest. 42. art. 1. questio 3. concl. 2. aut saltem quando contrahentes non intendunt facere Sacramentum, ut docet Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 13. diff. 6. num. 4. Basilius de Leon tom. de Matrim. lib. 1. cap. 9. num. 3. Valquez tom. 2. in 3. p. disput. 138. cap. 5. Hurad. Rebellus, & alii, quos sequitur Diana 3. p. tract. 4. de Sacram. resol. 255. Ergo si quis ex iusta causa (verbi gratia, quia urget contrahere per procuratorem, & quia excommunicatus est, nequit licet Sacramentum matrimonii recipere) haberet intentionem efficiendi contractum, non verò Sacramentum, non fieret Sacramentum, non tamen redderetur matrimonium irritum, quatenus contractus est: sed nulla fieret injuria Sacramento. Ergo ratio adæquata, cui innititur, posse dari simulationem in Sacramento matrimonii non est, quia, ut contractus, possit irritum reddi, ut volebat Sanchez. Nam optimè stat, quod maneat validum, ut contractus, & tamen quod ex iusta causa non adhibeant contrahentes formam Sacramenti, nempe verba ex intentione faciendi, quod facit Ecclesia; qua deficiente, eum defuit forma, non redditur irritum Sacramentum. Sicut Poenitentia Sacramentum non dicitur irritum reddi à Sacerdote, qui postquam peccatoris rectè dispositi confessionem excepit, eum tamen ex iusta causa

(nempe, quia jurisdictionem non habet, nec potest ab absolute dimittere; quia licet fuerit materia, defuit forma, quia non adhibuit se celebratum, in quo, quando iusta ad est causa simulandi, utendo æquocatione, nulla est irreverentia.

20. Ex quibus concludo, in omnibus Sacramentis licitum esse ex iusta causa simulationem uti, probando verba formæ absque intentione recipi, & hanc conclusionem longè veriorē esse, quam illam de communione in hostia non consecrata, tunc occulto conferenda, & omnino ab illa independentem, ut constat ex supra dictis, quia ex illa ad istam optimè valet consequentia, rectè à difficiliore, ut bene expendit Elcobaz in præ.

QVÆSTIO III.

An Sacramento invalido, ex defectu intentionis Ministri, gratia ministerii sanctificans à Deo conferatur?

1. Intentionem Ministri necessariam esse adhiberi Sacramento, definit Tridentinum sess. 21. can. 11. ubi eius qualitas rem simul exponit. Si dixerit in Ministro, dum Sacramenta conficit, conferunt, non requiritur intentionem saltem faciem, quæ facit Ecclesiam, anathema sit. Hoc posito, diffinitum est, an deficiente valore Sacramenti Baptismi, defectu ejusmodi intentionis Ministri, certum, juxta præsentem providentiam, infantem aliquem baptismo decedentem ad salutem æternam non perventurum?

2. Prima sententia est, in tali eventu, Developplere defectum baptismi, quoad eius effectum, conferendo scilicet gratiam sanctificantem, & remissionem peccati originalis: ac proinde periculum certum baptismi discedentem gloriam obtenturum. Ita Div. Thom. in 4. sent. dist. 5. q. 1. art. 2. questio 1. ad 2. Ubi ait: * Si defuit mentalis intentio in baptizando puerum, præ creditur, quod Summus Sacerdos, scilicet Deus, defectum suppleat, & salutem ei conferat. Quod iterum tradit 3. p. quest. 64. art. 8. ad 2. ubi: Quidam dicunt, quod requiritur mentalis intentio in Ministro, quæ si defuit, non perficitur Sacramentum, sed hunc defectum in partem implet Christus: in adultis autem, qui intendunt Sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides, & devotio. In hoc satis posset dici, quo ad ultimum effectum, quia perficitur à peccatis. Sed quantum ad characterem, non datur per devotionem accedentis posse suppleri. Hæc Div. Thomas, quæ ex illo fideliter excerpta referuntur dæus Guimenius in opusculo pro Jesuitis contra Baptismo, prop. 2. num. 10. Quam sententiam, cum cæcis D. Thomæ sequuntur Sylvester, Summus Confessorum, Chrysostomus, Jabellus, Bartholomæus ab Angelis, Zanardus, Vignerus, & alii, omnes referens testatur ex eodem instructo R. M. Joannes Mattioz de Prado, olim Primarius Compulensis in 3. p. q. 64. dub. 7. §. 6. n. 76.

3. Eidem pietatis fundamento insistent M. Sylvester, verb. Baptismus 1. quest. 5. idem consequenter asserit; licet defectus valoris baptismi à ministerio proveniat. * Si subtrahatur, inquit, aliquid de forma